

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

EPISTOLÆ PRIORIS ET CONVENTUS  
CANTUARIENSIS,

TEMPORE BALDEWINI ET HUBERTI  
ARCHIEPISCOPORUM.

LIBER PRIMUS.

UNIVERSIS sacrosanctæ Cantuariensis ecclesiæ filiis et fo. 1.  
fratribus, vitam monasticam professis, et in futurum,  
Domino favente, professoris, quidam ejusdem ecclesiæ  
filius et tribulationum socius salutem, et sereno tempore  
meminisse nubilosi.

Rerum gestarum notitia, et ea quæ præcesserunt in The advantage and importance of preserving the records of former times.  
sæculis quæ fuerunt ante nos, nobis jampridem longa  
fuissent oblivione sepulta, et cum tempore transeunte  
pertransissent, nisi præcedentium prudentia posteritati  
suæ litterali beneficio prospexisset; ipsamque sui  
originem homo ignoraret, nisi scripta hominum vivaciora quam corpora, futuræ corruptioni consulissent. Cœli et terræ, hominum et angelorum creationem, lucis et tenebrarum divisionem, aquarum ab arida separationem et cætera quæ fecit Deus valde bona, tot annorum millibus jam elapsis, quis vel hodie somniaret, nisi monumenta scripturarum mortalitatis nostræ defectui subvenirent, et nostrum suppletes defectum, præterita quasi præsentia memoriæ nostræ ministrarent?

Hinc est quod ad futurorum non solum notitiam, The fifteen years' trials of the church of Canterbury.  
verum etiam et ad cautelam, ea quæ gesta sunt  
tempore tribulationis, quæ per annos circiter quindecim  
in ecclesia Cantuariensi duravit, huic operi inserere

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

utile visum fuit, ut videant qui venturi sunt, et viriliter agant eorum recordatione roborati; quæ conventus sustinuit pro libertate Cantuariensis ecclesiæ, temporibus summorum pontificum Urbani, Gregorii, Clementis, Cœlestini, Innocentii, et archiepiscoporum Baldewini, et Huberti, sub regibus Anglorum Henrico, Ricardo et Johanne, sicut ex eorum omnium epistolis, vario tempore scriptis, et in hoc opusculo in ordinem et unum corpus redactis, diligens lector poterit intueri.

Hujus autem tribulationis prima causa fuit, quod jam dictus Baldewinus, ipso promotionis suæ anno,<sup>1</sup> exenia maneriorum quæ de jure antiquo ad conventum pertinebant; postmodum quatuor ecclesias quas decessor ejus Ricardus magna pietate qua pollebat, ad alendos Christi pauperes, eleemosynaria scriptura interveniente, assignaverat, precedentibus nihilominus domini Alexandri papæ tertii consecratoris sui confirmatione, et A.D. 1186, Januarii 25. Lucii qui eidem Baldewino pallium direxerat, nescio quo spiritu repente subduxit. Unde capitulum Cantuariense coactum est supremæ sedis judicium per appellationem postulare. Crescente igitur semine jurgiorum, per quosdam venerabiles viros actum est, ut appellationi renunciaretur: nec tamen generaliter;<sup>2</sup> nam quidam fratrum constantiæ magnæ et fidei, multorum confratrum consilio suffultus, ad curiam Romanam profectus est, prædictorum spoliationem domino Papæ Urbano qui jam Apostolicæ sedi præsedet contestans, et litteras impetravit commissorias. Nondum enim secundum promissionem archiepiscopi fuerant ablata restituta. Interim inimico homine ampliorem seminante discordiam inter patrem et filios, tacita veritate, impetratæ sunt litteræ ab eodem Urbano, ut liceret archiepiscopo sub nomine capellæ, clericorum sæcularium numero circiter sexaginta ecclesiam celeberrimam ædificare.

A.D. 1185.  
Dec. 15.  
Baldwin  
seizes the  
presents  
paid to the  
monks from  
their  
manors.

He seizes  
four church-  
es appro-  
priated for  
alms.

A.D. 1186.  
January 25.

The monks  
appeal,

A.D. 1186.  
February 18.  
(Gervase,  
1478.)

and are per-  
suaded to  
renounce  
the appeal.

Baldwin  
gets a li-  
cence from  
Pope Urban  
to found a  
college of  
seculars.

<sup>1</sup> On the anniversary of the day of his election. Gervase, *Chron.* 1478.

<sup>2</sup> Gervase does not give the exact date of the renunciation of the appeal.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

## TEMPORE BALDEWINI.

3

Primo igitur in ecclesia Sancti Stephani de Hakintune extra muros civitatis, canonicos instituit, volens eos ibidem certum domicilium habere, donec eis celebriorem et ampliozem fundaret ecclesiam. Quod cum conventui innotuisset, missis pluribus de fratribus ad locum, ipso archiepiscopo præsente, in aure totius populi qui ad hoc confluerat, secundo etiam tunc solemniter appellatum est, tam super institutione canonicorum, quam super detentione ablatorum. Nitebatur autem archiepiscopus ecclesias in fundo conventus sitas sicut et suas appræbendare, unde et clericos jam ante jurare coegerat, quod canoniam illam foverent, et quamdiu viverent modis omnibus promoverent. Nam ante missis tribus ex fratribus provocatum fuerat, quos etiam idem archiepiscopus provocatus in diversa claustra retrusit. Qua in re conventus matricis ecclesiæ subversionem tam in spiritualibus quam in temporalibus conspiciens imminere, amplius cœpit formidare, animadvertens quod quantum illa cresceret, ista decresceret, quæ nihil habuit unde illa dotaretur, nisi quod matrici detraheretur. Prosecutionem igitur appellationis per priorem Honorium et alios confratres nostros, et varios hinc inde rerum eventus qui acciderunt, epistolæ subsequentes latius prosequuntur.

Sciendum sane quod liber iste tres continet distinctiones. Quarum prima exordium litis sub Baldewino et cursum usque ad mortem Urbani papæ comprehendit, cujus sententia definitum est, ut capella de Hakintune suis fundamentis æquaretur; locus etiam maledictus haberetur et profanus. Secunda causæ conflictus continet a pontificatu Gregorii, Clementis, et Cœlestini temporibus usque ad hujus Cœlestini excessum, cujus auctoritate prædicta capella tandem demolita est. Tertia continet suscitationem causæ ab archiepiscopo Huberto sub papa Innocentio, usque ad demolitionem capellæ de Lamhee, et causæ terminum per compositionem.

He begins to build at Hakinton.

The monks appeal a second time. A.D. 1186. Dec. 8. (Gervase, 1434.)

Prior Honorius and others go to the Roman court.

Divisions of this book.

1. From Baldwin's appointment to the death of Urban.

2. From the death of Urban III. to that of Celestine III.

3. The cause revived by archbishop Hubert.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

A.D. 1185. I. LITTERÆ LUCII<sup>1</sup> PAPÆ IMPETRATÆ A BALDEWINO ARCHIEPISCOPO  
March 15. CONTRA CONVENTUM, SUPPRESSA VERITATE.

Pope Lucius III. commissions archbishop Baldwin to reclaim the property alienated by his predecessor, and to reform the church of Canterbury.

Lucius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Baldewino Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc te credimus ex divinæ providentiæ bonitatis honore ac dignitate majoris officii sublimatum, ut religionis et prudentiæ tuæ virtus tanto plenior sui præbeat in bonis operibus certitudinem, quanto majorem accepit divino munere potestatem. Ipsa quoque Cantuariensis ecclesia, quæ te in patrem et pontificem suum divina, sicut credimus, inspiratione vocavit, ut copiosius assequatur de tua probitate solatium, in corrigendis hujusmodi quæ prædecessor tuus incaute fecisse proponitur, esse te desiderat omnimode studiosum. Eapropter, venerabilis in Domino frater, nos ad hoc apostolicum præstantes debita benignitate favorem, discretioni tuæ per litteras præsentis injungimus et liberam damus auctoritate apostolica facultatem, ut ea quæ jam dictus prædecessor tuus contra tenorem præstiti juramenti, sive in possessionibus sive in consuetudinibus quas invenit, alienare aut in deterius mutare præsumpsit, in statum pristinum sine ullius appellationis obstaculo, nostra fultus auctoritate reducas; ita quod ex hoc et prudentia tua clarius enitescat, et ecclesia,<sup>2</sup> quam gubernandam suscepisti, per studium et prudentiam tuam continua crescentis jugiter [dona]<sup>3</sup> consolationis assumat. Datum Veronæ, idus Martii.

A.D. 1185. II. LITTERÆ URBANI<sup>4</sup> PAPÆ AB EODEM BALDEWINO EODEM MODO  
Dec. 19. IMPETRATÆ.

Urban III. commissions Baldwin to reclaim the possessions of his see.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Baldewino Cantuariensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc te confidimus in Cantuariensis ecclesiæ regimine constitutum, ut quod per

<sup>1</sup> Lucius III. (Ubaldo) was elected pope September 1, 1181, and died November 24, 1185. Baldwin was elected archbishop by the bishops December 2, and accepted by the monks of Canterbury December 16, 1184. He received the pall May 19, 1185.

<sup>2</sup> *ecclesia*] *ecclesiam*, MS.

<sup>3</sup> *dona*] *om.* MS.

<sup>4</sup> Urban III. (Uberto Crivelli) was elected pope Nov. 25, 1185, at Verona, and died at Ferrara, Oct. 19 or 20, 1187.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

## TEMPORE BALDEWINI.

5

negligentiam prædecessoris tui ejusdem ecclesiæ dignitas in temporalibus vel in spiritualibus amisisse dinoscitur, per prudentiam et sollicitudinem tuam, Deo in omnibus adjuvante, se recuperasse lætetur. Ut autem quod per te ipsum forte facere nequiveris favore nostro facilius prosequaris, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem, ecclesias et alias res quas prædecessor tuus alienavit injuste, ad jus et potestatem ecclesiæ tuæ sine appellationis obstaculo ordine legitimo revocandi. Datum Veronæ, xiiii. kal. Januarii.

A.D. 1185.  
Dec. 19.  
and to redress the errors of his predecessor.

III. LITTERÆ IMPETRATÆ A CONVENTU POST PRIMAM APPELLATIONEM CONTRA PRÆCEDENTES.<sup>1</sup>

A.D. 1187.  
Jan. 13.

Urbanus papa Cantuariensi archiepiscopo Baldewino. Quanto majoris religionis es, nominis et dignitatis, tanto propensiori studio iis teneris intendere, quæ ad honestatem pertineant et religionis augmentum. Sane sicut dilecti filii nostri fratres ecclesiæ tuæ transmissa nobis querimonia retulerunt, quod ecclesiæ de Estreia et de Munechetun eorum ecclesiæ ad usus pauperum provide deputatæ fuissent, et non solum a bonæ memoriæ Ricardo prædecessore tuo, sed etiam a felicis recordationis Alexandro et Lucio prædecessoribus nostris eisdem usibus confirmatæ, tu eas quibusdam clericis concessisti. Quoniam igitur omnimodis sicut venerabilem fratrem nostrum sinceræ caritatis brachiis amplexamur, per te corrigi malum quam per alium, quod in præjudicium juris est in hac parte commissum, monemus fraternitatem tuam, consulimus et hortamur, quatenus si res ita se habet, hæc per te ipsum non expectata correctione alterius corrigas, et præscriptas ecclesias usibus illis restituas, quibus eas de prædecessoris tui et apostolicæ sedis constat auctoritate confirmatas. Si vero juxta consilium et exhortationem nostram id per te ipsum congrua non fuerit emendatione correctum, juri prædictorum fratrum aliter volumus providere, cum in eo loco simus et officio, licet insufficientibus meritis, providentiæ supernæ dispositionis assumpti, ut nemini nedum viris religionis apostolicum possimus suffragium denegare. Datum Veronæ, idus Januarii.

Urban III. admonishes Baldwin to restore the churches of Eastry and Monkton to the uses of the poor.

He threatens to compel him.

<sup>1</sup> As the churches in question were alienated on the 25th of January, and the first appeal of the monks was made on Feb. 18, 1186, it is clear that if the date of this letter is right, it belongs to the year 1187.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

## A.D. 1187. IV. URBANUS PAPA BALDEWINO ARCHIEPISCOPO DE EODEM.

Urban III. orders Baldwin not to oppress the monks on account of the appeal.

Urbanus papa Baldewino Cantuariensi archiepiscopo. Cum dilecti filii nostri fratres ecclesiæ tuæ ad nostram se asserant audientiam appellasse, super eo videlicet, quod ipsis duas ecclesias quæ usibus pauperum deputatæ fuerant, et auctoritate prædecessoris nostri et apostolicæ sedis confirmatæ, non decet te propter hoc eis aliquam molestiam irrogare, quominus et appellationem prosequi possint, et suam justitiam obtinere. Inde est quod fraternitati tuæ mandamus, quatenus prædictis fratribus, illius appellationis intuitu, nullam molestiam inferas, nec ab alio inferri permittas. Et si per hoc in eos vel in aliquos eorum sententia lata est, ipsam dilatione et appellatione remota laxes. Datum Veronæ.

A.D. 1187. V. IDEM LINCOLNIENSI EPISCOPO<sup>1</sup> ET DE FAVERSHAM ET DE BOXELEIA ABBATIBUS.

Urban III. commissions the bishop of Lincoln and the abbots of Faversham and Boxley,

Urbanus papa Lincolniensi episcopo et de Favresham et de Boxelia abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii nostri Cantuariensis ecclesiæ suam ad nos querimoniam transmiserunt, quod cum ecclesiæ de Estreia et de Munechetun eidem ecclesiæ ad usus pauperum rationabiliter deputatæ fuissent, et non solum a bonæ memoriæ Ricardo quondam Cantuariensi archiepiscopo, sed etiam prædecessorum nostrorum Alexandri et Lucii [auctoritate] confirmatæ, venerabilis frater noster Baldewinus Cantuariensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, eas usibus ipsis ex sua voluntate subtraxit, et ipsas quibusdam clericis minus juste concessit. Unde quia juri prædictorum fratrum volumus ut debemus intendere, et si quid in præjudicium juris actum est in hac parte prout nobis ex officio competit emendare, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus apud Cantuariam convenientes in unum, dilectos filios nostros de Bello et de Evesham abbates<sup>2</sup> ad vos convocetis, et tam ab eis quam a capitulo Cantuariensi et ab aliis, super jam dictis ecclesiis cognita veritate, si res ita se habere constiterit, memoratum archiepi-

in conjunction with the abbots of Battle and Evesham, to take cognizance of the case, and try to persuade the archbishop.

<sup>1</sup> Hugh of Avalon was consecrated bishop of Lincoln, Sept. 21, 1186. Gwerric, abbot of Faversham, was blessed by archbishop Richard in 1178, and died before September 1189. Cf. Gervase, 1445 and 1674. The name of the abbot of Boxley does not appear.

<sup>2</sup> Odo, abbot of Battle, 1175–1200. He had been prior of Canterbury, 1167–1175. Adam, abbot of Evesham, 1160–1190, was a Cluniac monk, and had been prior of Bermondsey, *Mon. Angl.* ii. 4, &c.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

## TEMPORE BALDEWINI.

7

scopum auctoritate nostra monere curetis et diligenter inducere, ut præscriptas ecclesias usibus illis restituat, quibus deputatæ fuerunt et auctoritate apostolica confirmatæ. Si vero monitis vestris ad hoc induci nequiverit, privilegia et munita quæ jam dicti fratres duxerint præsentanda, et rationes etiam quas super hoc proponit idem archiepiscopus audiatis, et tam rescripta privilegiorum ipsorum quam allegationes hinc inde productas, sub sigillis vestris nobis mittatis, præfigentes partibus terminum competentem, quo cum ipsis apostolice conspectui repræsentent, ut per vos cognita veritate tutius procedere possimus in causa. Datum Veronæ, idus Januarii.

A.D. 1187.  
January 13.

If he will not comply, they are to send the documents used in the case to the Pope.

## VI. LITTERÆ IMPETRATÆ A BALDEWINO, TACITA VERITATE, PRO CANONIA SECULARIUM ERIGENDA.

A.D. 1186.  
October 1.

Urbanus papa Baldewino Cantuariensi archiepiscopo. Significatum est nobis ex parte tua, quod cum beatus Thomas martyr Christi in vita sua propositum gereret et voluntatem haberet ecclesiam in honore beati Stephani ædificare, et præbendas in ea de ecclesiis parochialibus quæ ad ipsius donationem spectabant construere, de quibus clerici eidem ecclesiæ deservientes, in communi honeste possent et congrue sustentari; martyrio feliciter coronatus, non potuit quod intenderat in hac parte pro voto complere. Verum quia significasti ejus te in hac parte pietatis ostendere successorem, præsentium tibi auctoritate duximus indulgendum, ut liceat tibi ecclesiam illam in honore beatorum martyrum Stephani et Thomæ, sicut idem gloriosus martyr disposuerat in honore beati Stephani construere, et de idoneis personis ordinare, quibus beneficia ad sustentationem eorum constituens debeas canonicè assignare. Ea tamen habita providentia, ut ecclesiæ illæ debitis obsequiis et necessariis stipendiis non fraudentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc. Datum Veronæ, kalendis Octobris.

Urban III. having heard that S. Thomas had intended to found a college of clerks in honour of S. Stephen, and endow it with the churches in his gift, grants to Baldwin licence to carry out the design.

VII. CONFIRMATIO HENRICI REGIS<sup>1</sup> CANONIÆ.

A.D. 1187.

Henricus rex Angliæ &c. archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et omnibus fidelibus suis salutem. Sciatis quod inspectis

The king has seen the licence

<sup>1</sup> Henry II. was in England from 1186, April 28, to 1187, Feb. 15. It is probable that this letter was issued as late as Aug. 28, 1187, when the king and archbishop were at

Alençon. Cf. Diceto, 630, 634; Gervase, 1505. If this be so, the present letter cannot be the one referred to by Baldwin in No. viii. below.

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

A.D. 1187. litteris domini Urbani papæ tertii, quibus indulisit venerabili viro Baldewino Cantuariensi archiepiscopo construere ecclesiam in honore protomartyris Stephani et beati Thomæ martyris Anglorum, et conferre parochiales ecclesias, ad donationem archiepiscopi Cantuariensis pertinentes, eidem ecclesiæ in præbendas; ego indulgentiæ illi a domino papa factæ benignum assensum præbui, et quod ei indultum est concedo et gratum et ratum habeo. Testibus Hugone Coventrensi electo, G. priore hospitalis Jerusalem in Anglia, Willelmo clerico de Cove; fratre Rogero eleemosynario, magistro Henrico de Northampton, magistro Silvestro; apud Alenzun.

and hereby gives his assent to the design.

A.D. 1187.  
of pope  
Urban III.  
(No. vi.)

A.D. 1186. VIII. FRATERNITAS QUAM INSTITUIT BALDEWINUS ARCHIEPISCOPUS PRO CANONIA.

Baldewinus Dei gratia Cantuariensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Cum igitur Christi confessor beatus Anselmus et postmodum successor ipsius Sanctus Thomas in desiderio animæ suæ habuissent ecclesiam clericorum in honore Sancti Stephani prope Cantuariam ædificare, alter felici in Domino pace quiescens, alter glorioso martyrio consummatus, pium propositum suum posteris suis adimplendum reliquerunt. Unde quoniam indignum nimis videri debet, quod, cum beatus Thomas ubique terrarum glorificetur et ecclesias habeat, in terra natalitatis suæ nullam habet; de consilio et assensu domini papæ, necnon et domini regis omniumque suffraganeorum nostrorum, et magnatum hujus terræ, novam in honore præfatorum martyrum clericorum ecclesiam per gratiam Dei ædificare decrevimus. Cujus rei gratia hanc fraternitatem per provinciam Cantuariensem constituimus, ab hoc anno Dominicæ Incarnationis, M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LXXX<sup>o</sup>VI<sup>o</sup> in septennium duraturam. Omnibus itaque qui hanc fraternitatem ingredientur, et aliquid de suo annuatim ad præfatum opus miserint, vel in fine legaverint, si septennem vel majorem agunt pœnitentiam, vere confessis tertiam partem remittimus; si vero minorem, sexaginta dies eis relaxamus. Minuta etiam peccata et oblivioni tradita, offensæ quoque in parentes nisi in eos manus violentas injecerint, sub pœnitentia cæteris peccatis imposita colligantur. Iis etiam qui per pœnitentiam sunt extra ecclesiam toto anno præterquam in Quadragesima, liberum ecclesiæ ingressum concedimus. Adjicimus etiam quod omnes fraternitatis participes Christianam habeant sepulturam, quicumque fuerint morte præventi, nisi vel sibi ipsis manus injecerint, vel nominatim

S. Anselm and S. Thomas had purposed to found at Canterbury a church of clerks.

S. Thomas ought to have a church in England dedicated to himself;

Baldwin has determined to build one, and for the purpose founds a fraternity for seven years, giving certain spiritual privileges to the contributors.



Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

## TEMPORE BALDEWINI.

9

excommunicati decesserint. Quod si ecclesia cujus parochianus frater vel soror est, in ipsius obitu fuerit interdicta, quousque frater vel soror sepeliatur solvatur interdictum, pulsentur signa, et exequiæ mortuo impendantur. Quod si soror aliqua in puerperio periclitata obierit, ad ecclesiam deferatur et Christianæ sepulturæ commendetur solemniter. Insuper omnes qui se huic fraternitati adjunxerint omnium missarum, orationum ac beneficiorum quæ in omnibus ecclesiis Cantuariensis provinciæ fiunt, participes esse concedimus, eorumque parvis et adolescentibus, minoribus quindecim annis, hujus fraternitatis beneficium indulgemus.

A.D. 1186.  
Privileges of  
the fratern-  
ity.

## IX. APPELLATIO SECUNDA CONVENTUS NE FIERET CANONIA.

A.D. 1186.  
December 8.

Venerabili patri suo et domino, Baldewino, Dei gratia Cantuariensi archiepiscopo et apostolicæ sedis legato, Honorius prior et ejusdem ecclesiæ conventus, salutem et debitam cum summa devotione obedientiam. Satis meminit discretio vestra, pater sancte, qualiter erga nos filios vestros post promotionem vestram in archiepiscopum, quia in personam vestram non tam cito consensimus, animum vestrum obduraveritis, et faciem hilariorem excluderitis. Clamant hæc opera vestra quæ nobis immeritis nimis præpropere, ut ex conscientia loquamur, infixistis; primo, exenia nostra de maneriis nostris auferendo, cum in possessione longa essemus; secundo, ecclesias quasdam de maneriis nostris, pauperibus et ægrotis per piæ memoriæ Ricardum archiepiscopum prædecessorem vestrum assignatas, et tam ipsius piæ recordationis, quam summorum pontificum Alexandri et Lucii munimine corroboratas, subito, prout placuit, non observato ordinis jure, invasistis. Pro quibus illatis decrevimus tunc appellare et appellavimus: et quia sperabamus asperitatem vestram per lenitatem nostram precibus et fletibus emollire, et hoc inductione quorundam abbatum qui ad hoc confluerant, spe inani et verbis nudis seducti, illi appellationi renunciavimus; non tamen generaliter, quia aliqui fratrum maximæ constantiæ omnia summo Pontifici Urbano, et scripto et verbo præsentaverunt. Unde summus Pontifex vobis suas litteras direxit, ut ablata restitueretis. Immo manus vestras quotidie aggravastis in nostra oppressione. Hoc veraciter indicat opus et canonica sæcularis in fronte nostra, quam erigere proponitis ad subversionem matricis ecclesiæ et de bonis ejusdem. Ne autem sub silentio matrem nostram jugulari et in aliam familiam redigi, quod absit, aspiciamus, et ne canonica procedat et opus,

(*Gervase*,  
1484.)  
Second ap-  
peal of the  
prior and  
convent.

They com-  
plain of the  
loss of the  
presents  
and of the  
churches.

They had  
before ap-  
pealed, and  
had been  
persuaded  
to abandon  
the appeal.

Some of the  
brethren  
had refused  
to renounce  
the appeal.

fo. 3<sup>re</sup>.

Now the  
archbishop  
is founding  
a secular  
college; the

Cambridge University Press

978-1-108-04806-4 - Chronicles and Memorials of the Reign of Richard I: Volume 2: Epistolae Cantuarienses, the Letters of the Prior and Convent of Christ Church, Canterbury, from A.D. 1187 to A.D. 1199

Edited by William Stubbs

Excerpt

[More information](#)

A.D. 1186.  
December 8.  
monks appeal, and fix the term of appeal for Mid-Lent Sunday, (Mar. 8, 1187.)

præsentiam appellamus apostolicam, damna illata, personas omnes ecclesiæ, res et possessiones nostras, ubique sub eadem concludentes. appellatione, terminum appellationi assignantes Dominioam qua cantatur *Lætare Jerusalem*. Valeat paternitas vestra in Domino, et Deus emolliat cor vestrum ad honorem Suum et profectum ecclesiæ et nostrum.

A.D. 1186.  
December.

## X. PHILIPPO REGI FRANCÆ CONVENTUS CANTUARIENSIS.

The monks write to Philip king of France, complaining of the archbishop's oppressions,

Reverendo domino et in Christo carissimo, Philippo, Dei gratia illustrissimo Francorum regi, humilis conventus ecclesiæ Christi Cantuariæ, salutem, in Eo Qui dat salutem Ps. cxliiv. 10. regibus. Frequens est ad eum in necessitate confugere, a quo speratur auxilium pervenire. Noverit itaque excellentia vestra quia pro statu ecclesiæ Cantuariensis conservando in angustia positi sumus et mœrore, et in hoc forte misericorditer nobiscum agit Deus, ut videlicet filii quamvis degeneres et indigni, de calice bibamus patrum nostrorum. Verumtamen hoc miserabile est, quod ab illo patimur, qui pater noster est, et protector esse debuit. Supplicamus itaque generositatis vestræ pedibus obvoluti, quatenus gloriosum martyrem Thomam, adhuc in membris suis laborantem, benignius excipiatis, et litteras domino papæ ad quem appellavimus, et jam priorem nostrum direximus, pro statu et honore ecclesiæ nostræ conservando, velitis dirigere; quatenus dum ejus quasi regnum terrenum diligentia vestra servatis, ipse meritis suis et intercessione vestrum temporale conservet et conferat sempiternum. Si ergo placet excellentiæ vestræ nos pro Dei et beati martyris amore, pro liberalitate vestra et salute exaudire, facite ut intelligat dominus papa petitionem quam pro nobis facietis ex affectu procedere. Scitote quod inter omnes mortales multum speramus de benignitate vestra, quem præ aliis carum habemus in cordibus nostris, et memoriam semper agimus in orationibus. Dominus protendat vitam vestram, et multiplicet dies vestros, et dilatet imperium.

and beg him for S. Thomas's sake to intercede with the pope for them.

A.D. 1186.  
December.

## XI. FREDERICO IMPERATORI CONVENTUS CANTUARIENSIS.

Frederico, Dei gratia victoriosissimo Romanorum imperatori, semper Augusto, conventus ecclesiæ Christi Cantuariæ et Sancti Thomæ Martyris, salutem et victoriam.

The convent begs the emperor Frederick to suffer

Noverit excellentia vestra quod prior noster et quidam de fratribus pro magnis ecclesiæ nostræ negotiis ad curiam domini papæ profecti sunt. Quocirca de generositate animi